

picti missum a plerisque, et ab hoc diversissimum. *Cynoglossum pictum* genuinum nostrum a Cl. Thouin nomine *Cynoglossi apennini* accepimus.

193. — CYNOGLOSSUM *montanum* Smith, *Perf. fyn. n. 2.*, quod a *Cynoglossi sylvatico* Hænke quidquam diversum videtur. Folia inferiora in caule per petiolum bi-tripollicarem decurrentia, hinc spathulato-lanceolata, lucida quidem, virentia, attamen pilis superne aspersa, inferne pubescentia, supra magis, quam subtus, scabra, basi præcipue ciliata pilis longis. Avenia, ut Villars dicit, non sunt, sed basi fere trinervia, ut in *C. virginiano* Syst. veg. ed. 3. nec Sp. pl. Folia omnino remota, ut in *C. sylvatico*, at inferiora tantum, per petiolum longum decurrentia, subsessilia, superiora vero et suprema basi cordata, fere amplexicaulia. Pedunculi quoque remoti in spica longa, laxa, floribus secundis purpurascensibus albisve, fornicibus saturate purpureis. Calyx corolla brevior.
194. pag. 762. CYNOGLOSSUM *cheirifolium*. Gouani definitio optima. An non hujus potius loci *C. lanatum* Tourn. Cor. 7.
195. pag. 766. CYNOGLOSSUM *omphalodes*. Corolla non infundibuliformis, sed rotata.
196. — Nomine *Cynoglossi umbellati* a L. B. de Matt plantam obtinui, quæ *Cynoglossi* generis characteres æque male, quam alia quædam *Cynoglossa*, refert: est enim:
- CAL. *Perianthium* quinquepartitum, patens, persistens, laciniis lineari-lanceolatis obtusis.
- COR. monopetala, infundibuliformis, calyce longior. *Tubus* cylindræus, prismatico-pentagonus, limbo longior, calyce brevior. *Limbus* fere quinquepartitus, laciniis linearibus obtusis. *Faux* clausa squamulis quinque compressis, emarginatis, brevibus, conniventibus, tubum vix excedentibus.
- STAM. *Filamenta* quinque antherarum longitudine, in fauce corollæ, illamque superantia. *Antheræ* oblongæ, exsertæ, conniventes.
- PIST. *Germina* quatuor. *Stylus* subulatus tetragonus, calyce duplo longior, ideoque stamina multoties excedens, persistens. *Stigma* simplex, subobliquum.

PER. nullum, sed *Arilli* feminum quatuor, alæ instar semen singuli obvestientes, rotundato-submarginati, extus concavi, lævissimi, nitidissimi, alâ diaphanâ latâ, non dehiscentes, subtus longitudinaliter basi styli affixi.

SEM. quatuor ovato-acuminata, compressa, alata. Differt ergo a *Cynoglossi*: corolla, filamentis styloque longioribus et seminibus, iisdemque characteribus ab *Anchusa*, *Onosmate* et affinis. *Character essentialis*: Corollæ tubus prismatico-pentagonus, limbi laciniæ lineares. Squamulæ compressæ emarginatæ ad faucem. Filamenta antheræque exsertæ. Semina alata.

Quum genus *Rinderæ*, a Pallas propositum, ad quod planta nostra pertineret structurâ feminum, non recepissent Botanici ob specierum fors defectum, liceat nunc, numero specierum aucto, genus ididem proponere ut dissimillima demum *Cynoglossa* disjungantur, nomenque novum eidem petere ab indefessa cultore scientiarum (*Botanices imprimis et Astronomiæ*) et pulcrarum artium (*picturæ præcipue*), L. Baronissa de Matt, quæ plantam hanc horto nostro dono dederat. Nobis saltem *Mattia* erat et hæc, et *Cynoglossum, lævigatum, lanatum etc.*

*Radix* fibrosa, ut videtur biennis; priore anno fata planta hoc anno 1808 floruit.

*Caulis* pedalis, foliis radicalibus ovato-lanceolatis, superioribus lineari-lanceolatis, supremis linearibus, omnibus longe petiolatis et per petiolum decurrentibus, integerrimis, incanis, villosis-pubescentibus. Caulis superne foliis linearibus imbricatis tectus dilatatur apice, unde umbella nascitur e racemis multifloris, pedunculis simplicibus circa circum cernuis purpurascensibus, lanugine alba, qua et calyx obtegitur, involutis. Inde capitulum umbellatum terminale floribus nutantibus centro concavo, elegantissimum, tum planta floret: at deflorati pedunculi eriguntur sensim sensimque, et fructigeri demum corymbum sistunt racemosum, ut umbellæ species depereat.

Calyx descriptus. Corollæ limbus primum lateritius, soli diutius expositus flavescens, siccatus virescens. Antheræ virides, effoetæ, fusæ. Pollen sulphureo-albus. Stylus rufobadius, in violaceum vergens, superne cum stigmate flavescens.